Ex Libris

PROFESSOR J. S. WILL

RB 6046

Library
of the
University of Toronto

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/genethliacvmclav00dole

GENETHLIACVM

CLAVDII DOLETI,

STEPHANI DOLETI FILII.

Liber Vitæ communi in primis vtilis et necessarius.

AVTORE PATRE.

LVGDVNI,

APVD EVMDEM DOLETVM,

1539.

Cum Priuilegio ad Decennium.

CENT VINGT EXEMPLAIRES.

PARIS.
Imprimerie de I. Tastu
SE VEND CHEZ TECHENER, LIBRAIRE,
Place du Louvre. n. 12.

STEPHANVS DOLETVS

Claudio Coteraeo

SALVTEM.

REGVM morem non ignoras. Solent, prole illis nata, actutum nuntios quouis gentium mittere, gratulationem sibi vndique ambitiosius aucupari, Reges externos ad lustricum diem euocare, noua tum superbia, luxuque, quanto maximo possunt, splendidius circunfluere. Nos vero qua natum nobis filium pompa excipiemus? Literaria sane: quando regia magnificentia non licet. Agedum, carmine orbi significemus, susceptam nobis sobolem. Quæ vt suo statim ortu omnibus sit vtilis, nataque auspicato

videatur, argumentum nobis versus scribendi dedit, quo vniuersam Iuuentutem ad communis prudentiæ præcepta breuiter informamus. Itaque placuit istius modi pompa prolem a me excipi, me digna, proli honorifica, omnibus fructuosa. In qua commentatione, paucis eà perstrinximus, quæ ad sapienter, recte, et feliciter viuendum pertinere sumus arbitrati, siue interiora animi bona spectes, siue exteriora consideres. Hoc ipsum otioli nostri oblectamentum tibi dicatum volo, tum quod puero ad sacrum lauachrum tollendo præfueris: tum quod talem institutionem a philosophiæ, cui totus deditus es, normis non abhorrentem vnus omnium cupidissime videaris amplexurus. Extra hæc. Fac me, quæso, quamprimum certiorem, quo vultu, quoue animo ab aulicis sit noster Cato christianus exceptus. Mei qui cupidi sunt, et amantes, gratum illis vehementer fuisse non dubito. Qui autem nobis inuident, iis omnino displicuisse certo scio. Sed valeant sua cum maleuolentia maleuoli. In quotidianis, id est nullius, neque loci, neque numeri, obtrectatoribus iamdudum fastidimus, et grauiores facti, tantum iis in posterum responsuri sumus, qui ad Antiquos illos magnos eloquentiæ, laude, gloriaque accedant.

Maiora in literis conor, quam vt cum ista plane infantium sciolorum turba rem mihi esse velim, tempusque inutiliter conuiciando abire. Vale, Lugduni, sexto cal. februar. Anno a Christo in vterum Virginis illapso 1539.

GENETHLIACVM.

—

AD MVSAS.

Quos fructus dat festus Hymen ex coniuge ducta
Cepimus: est proles iam sua læta Patri.
Non mea sit, sed vestra, Deæ, quas pulcher Apollo
In sacra trifidæ Phocidos arce regit.
Carmen, io, nunc quæque suæ ad natalia prolis
Fundat et argutis cantibus Astra fremant.
Molli serta manu collecta sub Aonis vmbris
Spargite: per cunas gratus inerret odor.
Mella liquata fauis Hyblæis hauriat infans,
Vt vestro scribat postea digna choro.
Sed satis est, monuisse, mihi, vobisque creatam

Spem laudis : Gnati concelebrate diem.
Nos amor accendit grauior : iam pluribus ortum
Versibus ornamus. Suggere, Phœbe, modos.
Nec graue sit, tenerum infantem celebrare canendo,
Qui decus augebit maximus arte tuum.
Non graue sit tenero infanti concedere versus,
Quos reddet posthac plenior ingenii.
Plenior Aonii afflatus, quo mira crepabit,
Nil nisi te celebrans, nil nisi Castalides.
Est iactura leuis, pro cantu reddier olim
Cantum. Phœbe iuua : te manet amplus honos.
Est tibi certus honos, puero præstandus ab isto,
Legitimos annos si bona Parca dabit.

AD FILIVM

PRÆCEPTA NECESSARIA VITÆ COMMVNI.

Te quæcunque poli aspiciant regnantia signa
(Si quid in humanos cœlestia Lumina possunt,
Æternusque aliquis fati nos implicat ordo)
Quem natura dabit, vitalem confice cursum
Ex patris votis. Votis te talibus ergo
In lucem excipimus, cupimusque redire sub vmbras.
  Viue Deo fidens : stabilis fiducia Diuûm
Tristitia vitæ immunem te reddet ab omni.
Relligionis amor veræ fert commoda tanta.
  Post autem bene culta animo pia numina cœli,
Viue timore omni vacuus : non anxia somnum

Ambitio : non liuor edax tibi tardet : et ira
A te absit : vitiumque animi plus morte sinistra
Oderis omne : tibi dominetur nulla voluptas :
Nulla libido tibi mentem præstringat. In auras
Aërias, patris his votis, succede propago,
Chara propago mihi. Sic Crœso ditior, auream
Libertatem animi (Diuorum munus) habebis.
Has tibi tantum optamus opes : his viue beatus
Gnate mihi, mihi gnate oculis iucundior ipsis.
Fortunæ ambiguæ spernes ludibria, tanto
Robore vallatus : nec tristi tempore vultum,
Nec læto assumes alium, quam mascula virtus
Virtus inconcussa omni gerit ordine rerum.
O, virtutis ama numen : quæ sola secundis,
Et duris rebus vultum dat habere virilem.
Ad morum cultum literas adiunge : iuuabunt,
Perficientque vt notum habeas, quid terra, quid aer,
Quid pontus variis causis generetue, feratue.
His notis securus ages, nec territus vllo
Portento, credes generari cuncta sagacis
Naturæ vi præstante, imperioque stupendo :
Naturæque eiusdem dissolui omnia iussu.
Felicem nimium, rerum si noueris ortus,

Et causas tam multiplices, quibus horrida multa
Subiicias pedibus, fremitumque tonantis Olympi.
Hæc optata patris cedant tibi, Gnate, fruaris
Ingenio vt tranquillo semper, seu mare terra,
Seu tellus cœlo mista vna confundatur.
Accipe nunc, quæ tuta tibi præcepta notabo,
Hac quibus exibis vita discriminis expers
Omnis, et a quouis nullam reuerebere pestem.
Si tibi diuitiæ multæ post fata parentum
Obuenient: non largus eas absume, nepotum
Exemplo: duris pater has sudoribus olim
Quæsiit. Immenso quod partum est tempore, turpis
Non gula, non luxus, non damnosa alea perdat:
Sic vtare tuo vt non indigeas alieno.
Re sine nullus eris, quamuis virtutibus aptus
Vndique sis: quamuis magnum superaris Homerum,
Vergiliumue grauem, diuinaque fulmina Marci
Consulis Arpinatis. Opum vi fama paratur.
Afflue diuitiis, aliquis si quæris haberi.
Re sine nullus eris: nostro sic viuitur æuo.
Hic tamen vt nimius prohibetur splendor, auari
Nomen sic horre, misere nec sordidus ægram
Conficias vitam. Modus est in rebus honestus.

Est vero laus magna (Deique, hominumque, ferarumque
Applausu) tenueis, inopesque iuuare tuorum
Vi, cumulisque bonorum. Sit tibi semper egenus
Charior ære: iuua, poteris quoscunque petenteis
A te subsidium. Sic sic decet esse benignos
In mortale genus mortaleis. His datur actis
Æterni sperare Dei radiantia regna,
Et vitare tenebras formidabilis Orci.
At si nulla tibi obuenient bona patria, quæstum
Non ideo facies turpem: nec lucra parabis
Ex damno alterius. Iuste ditescere, pulchrum est:
Iniuste, tetrum: heu fuge iniquo incumbere lucro.
Non bene parta, breui spatio labuntur et absunt.
Sic vbi res fuerit tibi prima domestica curæ,
Fac tibi concilies cunctos, nec læseris vllum
Seu dicto, seu facto: ita conquiruntur amici.
Sed tamen vt multis libatis floribus, hærent
In meliore fauifluæ apes: sic pluribus ante
Perspectis, rarum leuiter tibi iunge sodalem.
Ille salis modium tecum consumat amicus,
Cui fidas posthac, cui credas omnia, quæ te
In partem quancunque habeant vel fœdius ægrum,

Vel lætum læuius. Vah, quanto proditor æstu
Immergat socium, si res quas ante licebat
Consensu vnanimi simul effutire iocando,
Detegat hostilis factus, linguæque petulcæ
Infensus laxet frenos. Sed disce (tacendo,
Quæ sciri metuas) vitare pericula tanta:
Ac vtaris Amico ita vt hoste vsurus eodem
Postea: sic nullus metus impendebit ab illo.
Nec minus assentatorem, quam perfidum Amicum
A te abige: et qui collectis rumoribus aures
Oppleat, accendens animum conficta monendo.
Est in vtrumque cauendum cauto cautio prompta,
Non adhibere fidem palpum obtrudentibus, et se
Nosse. Adulatorum facile tum cluseris artem:
Ac, qui falsa refert de te narrata, repelles.
Hic tibi quas leges caute præscribo sequendas
Inter Amicorum cœtus, non segnius inter
Seruorum feces acri seruaueris astu.
Quot seruos, tot mortis habes præsentia tecum
Spicula: Gnate, caue tam infido fidere vulgo.
Te dominum vereantur, ament (ut amoris inanes
Sunt) si forte minus. Patroni fronte tremiscant,
Atque supercilio: nil quicquam tetrius, a te

Eiecti, possint de te iactare minaces.
Te facilem nunquam præbe, sociumue cohorti
Tam vili : quam nulla mouet, vel flectit honestas,
Sed fustis tantum, instantesque frequentius ictus,
Attamen hos modo eo tractes, vt nulla querelæ
Argumenta habeant iustæ, molesque animatas
Esse recorderis, quæ nostris vsibus astent,
Impendantque operam, et cura famulentur amanda.
At vero vxorem, cum qua consortia vitæ
Sunt obeunda diu, soluendaque funere tantum,
Liberius tracta. Comes est, non serua, marito
Coniux : quam placido facile retinebis amore :
Asperitate alienabis : sic molle creatum est
Fœmineum genus. At nimiam laxare caueto
Libertatem : audax per se satis audet, eique
Illecebram sceleris præbet concessa supra æquum
Libertas, et in omneis indulgentia nutus.
Sorte tua dignis ornetur vestibus, et te
Non absumat in hac luxus dissuasor honesti.
Præterea dum constitues te astringere vinclo
Connubii, fac forma minus, dotisque superbæ
Conditio placeat, ducendæ quam ortus honestus,
Et casti mores, quibus vna viuere longam

Felices liceat vitam sine lite molesta.
  Iam paulo grauiora loquar. Si ciuis in vrbe
Priuatus degas, ciuis nil munere maius
Attenta, ciuesque tuos imitare, ferendo,
Quicquid in vrbe omneis astringet legibus æquis.
  Quod si forte tibi vrbani mandentur honores,
Atque magistratus, et præsis pluribus vnus,
Non splendore nouo occæceris, et inde proteruum
Assumas fastum, fluxoque nitore tumescas.
Vna eademque animi maneat constantia : munus
Ex rectoque bonoque gere : ac te nulla cupido,
Nulla sitis nummi, doniue placentis, ab æqui
Abducat studio. Sonteis æquabile culpæ
Supplicium plectat : nullum sit crimen inultum.
Cuique suum serua : diues non pauperis agros
Possideat per te : sis iudex omnibus idem,
Iustitiamque cole affectu immutabilis vllo :
Ni malis clemens, nimium quam sæuus, haberi :
In qua parte licet quandam sibi quærere laudem.
  Sed si te maior Fortunæ afflauerit aura,
Abripiatque in Regum aulas, tibi nascitur ordo
Longe alius vitæ. Totus confertus oportet
Sis fraude, aulæ si te mergere fluctibus optes.

Omnia plena doli illic, plena quoque omnia frontis
Dissimulatæ illic. Quo te tamen ire volentem
Talibus instruimus, minime ad loca subdola cautum.
Claustra effringe pudoris : nulli cede loquaci :
Aude non aliquid, sed mira, vel omnia prorsus:
Te iacta, te effer : Martem tibi cedere belli
Artibus, et Phœbum studiis contende minorem.
Diligit hos ventos ventosis peruia solis
Aula : via hac irrependum est ad limina Regum.
Rex autem si te ad tractanda negotia ducet
Opportunum, et onus mandabit nobile quoddam,
Est tibi summa fides Domino præstanda potenti.
A te deinde procul furti insanabilis ardor
Sit, nec rem nimio amplificaueris incremento
Actutum. Instabit longe post Regia mulcta,
Et repetet possessa diu, vitamque iubebit
Turpiter auferri. Illyrica pice firmius hæret,
Talis quicquid agit scelerati functio. Quare
Regi, cuius onus susceptum seruus obibis,
Fac morum integritate proberis in omnibus illa,
In te vt nil carpat, leto quod vindicet asper,
Posteritasue eius, census dum poscet auitos,
Atque recensebit, qualem te gesseris ante.

Magna pericla manent, morti et se exponit acerbæ,
Qui regum nummis furtim ditescere sperat.
A tali abscede œstro, ne indue pectus auarum,
Gnate : libido tibi talis non imperet vsquam,
Dum geris impositas parteis a Rege tremendo.
Est modus aulicolis, varii sunt denique fines
Recti, quos intra possint ditescere nullo
Impendente metu repetundi exactius æris.
Post aliquod tempus consumptum Heroibus aulæ,
Fronte capillata si se sors offerat, hanc mox
Arripe, ne aufugiat frustra sectanda vagando.
Adde quod officio functi, impensique laboris
Vix meminere hora Reges: cito labitur illis
Mens memor obsequii nostri : oderuntque vetusta,
Et noua feruidius cupiunt. En se inferet alter
Gratior, exturbet qui te de sede priore,
Officiique tui speratis fructibus orbet,
Et collectum adimat multo sudore fauorem.
Non Romæ quondam Eurippo maiore subactus
Martius auditur campus, quam fluctibus aula
Ebullit subitis. Qui clauum in puppe tenebat,
Mox huic vix in sentina est locus : omnia paruis
Momentisque surguntque, ruuntq : ita mobilis aula est.

Bella sequi mauis? nulla est, hoc tempore, belli
Gloria, Romanæ patuit quæ magna Iuuentæ.
Militiæ est ars nulla: gerunt tyrone greġali
Bella, nec experiens veteranus regnat in armis.
Omnia fortuito, inconsulto suscipiuntur:
Nil prudenter, caute siue viriliter actum
Conspicias: tantum ĩuuat exagitare rapina
Immani patriam, et castas violare puellas:
Externis trepidare locis, vbi pectore toto
Pugnandum est: vinci semper, non vincere quemquam.
Denique non hortor, Martis tibi castra petenda,
Hac sane ætate omnino quæ ingloria sordent.
Fas quibus est nulli illustrem sperare triumphum,
Aut dignam celebri virtute referre coronam
(Præmia digna viro) quantumlibet intrepidus vi
Primus in armatos se præcipitauerit hostes:
Seu primus pugnax obstantem intrarit in vrbem,
Et dederit signum sociis, vt pressius instent.
Hactenus adduxi, quæ sunt seruanda quietam
Optanti vitam, et casus vitare malignos,
Tot quibus ex omni parte irretimur in orbem
Ingressi. Præcepta, Puer, ne neglige nostra:
Et patris in morem posthac ridebis alacris,

Quotquot sermones de te spargentur iniqui.
  Sola dedit scutum nobis interrita virtus,
Ac animus prudens, quo tela infesta minacis
Fregimus inuidiæ, et morsus elusimus omneis,
Vt solida vndanteis elidunt saxa procellas.
  Inuidiam sola supera virtute : crepabunt
Hostes disrupti, tantis si viribus obstes.
  De reliquo : cum Mors pallens ætate peracta,
Instabit, non ægro animo communia perfer
Fata : nihil nobis damni Mors inuehit atrox,
Sed mala cuncta aufert miseris, et sydera pandit.
  Tu ne crede, animos vna cum corpore, lucis
Priuari vsura. In nobis cœlestis origo
Est quædam, post cassa manens, post cassa superstes
Corpora, et æterno se commotura vigore.
  Scilicet a summo rerum genitore creati
Sic sumus, vt rapida corpusque animusque necentur
Morte, nec in cœlum pateant ex orbe receptus ?
Non ita. Sunt nobis reditus ad regna paterna
Regna Dei : genus vnde animi duxere perennes.

—

ODE

DICOLOS TETRASTROPHOS.

—

QVOTQVOT humanis male rebus æqui
Veioues estis, procul este diri
Veioues: natæ soboli secunda
Numina posco.

Quotquot humanis bene rebus æqui
Cœlites estis, placidi huc adeste
Cœlites: natæ soboli secunda
Numina posco.

Sis procul magni genitor Tonantis:
Iuppiter tristi melior parente

Huc ades: Iuno, Venus et Minerua
Hic simul este.

Omnis hic adsit triuiæ Dianæ
Cœtus : hic adsit Dea quæque, mundos
Quæ vel ad fonteis saliat, vel alta
Per nemora erret.

Huc nepos Atlantis ades diserte,
Huc pater vatum sacer huc Apollo
Phœbe te confer, nec opem petenti
Denega alumno.

Sic vbi Diuique, Deæque tantæ,
Prolis ad cunas teneræ strepetis,
Quantum erit cuiusque potens facultas,
Fundite dona.

Cui licet forma decorare corpus,
Corpus exornet meliore forma:
Cui licet dotes animi erogare,
Conferat arteis.

Cui licet magnis cumulare rerum
Copiis, magnas tribuat bonorum
Copias. Non tu bona sors abesto :
Te comitem adde.

Facque felicem puer auctus æuo
Transigat vitam. Superi, jam abite :
Quæ velim vestro tribui fauore
Munera, dixi.

CLAVDII COTERÆI

AD DOLETVM.

Qvr tibi diuitias optaro jure, Dolete?
En tibi thesaurus diuitiis potior.
Is puer est, patrem (Gallorum lumen, et orbis)
Qui pedibus, manibus, pectore et ore refert.
Illi concedant cœlestia Numina, tandem
Egregias dotes mentis habere tuæ.
Id tamen est rarum: diuersum sæpius vsu
Euenit: et matri filius est similis.
Sed quid matre ipsa laude omni plenius? aut quid
Sanctius? aut melius? vel magis ingenuum?
Quare siue vnum referat, vel vtrumque parentem,
Diues erit forma, diues et ingenio.

EIVSDEM.

—

AGRICOLÆ messes collaudant : vinitor vuas:
Et sua gnatorum semina laudat homo.
Si pulchra est messis, pulchre laudatur arator :
Et si vina adsunt optima, viticola.
Si talem gnatum, qualem vix posset Apelles,
Vel Zeuxis solers pingere, protuleris :
Cur non terra ferax, cur non tua semina laudem
Accipiant? quis non semina amoris amet?
Exi, infans, vtero : et prima feliciter aura
Vtere : sed matrem ne nimium crucies.
Exi, inquam, auspiciis lætis, risuque parenteis
Ipse salutato : hinc oscula blanda feres.
Excipiet te hilaris genitor, cupideque loquetur
Blandicias tibi, suaues tibi blandicias.
Tum quod amem valde ex animo te, magne Dolete,
De sacro puerum flumine suscipiam.

MAVRICII SCÆVÆ XENIA,

AD STEPHANVM DOLETVM.

—

Non, quæ mox pereunt, aurum, gemmæque, domusque,
Hoc Iano tibi sint munera nostra, volo.
Non ut detrectatorum conamina frangas
(Quid cupiam canibus spumeus obstet aper?)
Malo tuo inuideant mordaces semper honori,
Quam tu tam abiectis fecibus inuideas.
Sit tibi mas, opto, gestat quod ventre tumescens
Casta tuo coniunx associata toro.
Qui nedum facie, sed te virtute parentem
Alter, io, referat posteritatis honos.
Exi iam in lucem nostro spes altera seclo:
Porrigit ecce manum Pallas vtramque tibi.

BARTHOLOMÆI

ANVLI BITVRIGIS.

—

MVSA Genethliacos, mea Musula, dicere versus
Incipe, vt infantis primordia læta canamus.
Non omneis grauiora iuuant, tetricæque Camœnæ.
Si puerum canitis, puer est hic carmine dignus :
Sin erit hæc Virgo, digna est, cui virgineum dent
Auspicium lucis sacra virginis ora Mineruæ.
Primus ab antiquis per secla renascitur ordo,
Temporis et rediuiua venit iam gloria prisci.
Alterius Tulli felicior altera proles,
Altera iam paritur Ciceronis imago secundi :
Iam noua progenies magno generata Doleto,
Parturiente vtero, læto patre nascitur infans.

Tu modo nascenti Paranymphe, et pulcher Apollo
Adsis vaticinans felicis munera vitæ.
Tres Charites, Musæque nouem comites tibi sint. Hæ
Artibus ingenuis donent : virtutibus illæ.
Et tibi parue puer, seu forte puella futura es,
Nusquam tres desint Diuæ, tria numina mundi.
Dum generareris, Gnatis Venus alma creandis
Adfuit : hæc tribuat specioso in corpore formam
Non vulgarem, Helene qua sis, vel Nireus alter.
Adsit et obstetrix orienti pronuba Iuno
Iuno puerperii tollens Lucina dolores,
Matre laboranti : quæ te λευχῶλενος vlnis
Excipiat blandis : æterno et diues honore
Det decus, eximias et opes Dea regia fundat.
At te Parthenice primo comitetur ab ortu
Pallas, et in cunctis sapientia verba ministret,
Factaque fortia, cum præsit sapientiæ, et armis,
Artibus instructa, ac bello armata virago.
Si vir eris : faciat sis Cæsar ut alter vtraque
Re clarus : Literis sit bellica gloria iuncta.
Sin te fœmineo sexu natura creabit,
Virgo pudicitiam Pallas conseruet honestam,
Sanctaque Penelopes superes encomia castæ,

Et viuas meliore tamen Lucretia fato.
Ac ne sollicitet castam cessatio mentem,
Pingere acu doceat texturam experta Minerua
Sic, opere vt Phrygio tibi Lydia cedat Arachne.
O generosa latens vtero celante propago;
O sperate puer, si qua fata aspera rumpas,
Vt puer esse queas, eris alter et ipse Doletus,
Tuque Doletus eris, quo non facundior alter.
Iam tibi vere nouo varii munuscula cultus
Celtica terra parat. Iam frontem baccare gestit
Cingere, ne infanti noceat mala lingua futuro
Plurima nescio quæ soli ac inimica orienti.
Iam tibi rhetoricos fundent cunabula flores,
Eloquiique bibes fontem cum lacte beatum.
Non Hircana fera iam admouerit vbera Tigris:
Sydus at Olenium distentas porrigat ori
Mammas, lacte Iouem gratum quo pauit alumnum,
Omnigeno plenum et fructu, et flore κέρας καὶ
Diues ἀμαλθείας offert: quo copia cornu
Eius abundantis quodcunque habet, ingerat ori,
Inque tuo (eloquii suauissima signa ferentes)
Ore Platonis Apes instillent roscida mella.
Hæc ætatis erunt diuina exordia primæ:

Ac simul Heroum laudes, et scripta parentis
Iam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus,
Tunc hominum accipies vitam, patrique videbis
Permixtos Heroas, et ipse videberis illis,
Pædiæ et efficies patriis virtutibus orbem.
Mox, vbi jam firmata virum te fecerit ætas
Parte sine inuidia iam consummatus ab omni
Aggrediere tuos, aderit tunc tempus honores
Chara patris soboles, magnum patris incrementum.
O mihi tam longe maneat pars serior æui,
Vt patre digna tuo possim tua facta videre.
Talia fata tuæ proli, diuine Dolete,
Lanificæ stabili promittunt lege sorores.
Ergo nouo partu mater perfuncta dolore,
Post vbi longa nonem dederint fastidia menses,
Gaudeat, et pulchra faciat te prole parentem.

PETRI TOLETI MEDICI.

—

DOLETE, patrem te esse prolis tam insignis
Gaude. Violas iam Flora spargat e matris
Toro. Neque Apollo cum Pallade diua iunctus
Neget suum esse fœtum, cuius es certus
Parens. Musæ exultate tam clara prole,
Quæ post patrem vos e situ, atque squallore
Educet, et decus afferet non periturum.
En Galliæ præstans renascitur lumen.
Tuum excipe lumen, Gallia, debito plausu.

FINIS.

MR